

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0515

0513

0519

0509

0524

0504

0564

0464

0614


0414

1014

0014

Ende

Anfang



500

quod posset duci chorea post sonum illum; sunt enim cymbali bene sonantes et cymbali jubilationis, quae tamen magis proprie dicuntur tintinnabula: olim enim ante campanarum usum tintinnabulis ad officia convocabatur plebs. Ab intus est ecclesia bene ornata, in multas capellas divisa, et multae in ea pendent lampades praeter lampades S. Catharinae et altarium et columnarum XII. Ante cujuslibet monachi sedem pendet una lampas ardens. Ad hanc ecclesiam dependet in ejus capite ecclesia ad Rubum, de qua praemisum est.

Secunda ecclesia est ecclesia latina, juxta cellas peregrinorum, et est una arcta camera, oblonga, cum uno altari bene decorato in honorem S. Catharinae consecrato. Luteos habet haec ecclesia parietes, qui tamen obducti (b) sunt mattis diversorum colorum, de plectis palmarum contextis pro decore. Ad has mattas pendent multae schedulae affixae, in quibus orationes pulchrae de S. Catharina sunt descriptae per peregrinos. Mos quippe habet, quod quaelibet societas peregrinorum aliquod carmen conscribat de beata Catharina et conscriptum parieti affigit, in quo beata Catharina laudatur et peregrinus quilibet nominatur, et hoc, si societas habeat virum, qui talia dictare sciat. In tertia societate nostrae peregrinationis erat venerabilis dominus Johannes Lacinus, archidiaconus Septemeclesiastensis, doctus orator; hic confecit sine praemeditatione subito subjectum carmen pro suis sociis:

Suscipe virgineae decus immortale coronae,

Martyr et insignis te Catharina precor.

Sume tui causa susceptos diva labores,

Et licet indignis propitiare tuis.

Pannonius primum tibi fert obsequia libens

Julia Johannes urbe Levita procul.

Quem sequitur Felix, Ulmensis gloria terrae,

Assuetus Domino dupla talenta dare.

His Schombergensem Heinricum et Casparem una,

Ceu videas Nisum Euryalumque pares.

Marspach Sigismundus Franconae gentis alumnus

Atque Argentina Velsch Peter urbe potens.

Hi pariter prodire tuum venerabile corpus

Visuri, pariter et redituri domos.